NONNULLA
DE
MORBO BRIGHTII.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXX. M. AUGUSTI A. MDCCCXLVII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

WERNERUS PEINE
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
F. A. HEYNE, med. et chir. Dr.
A. BECKER, med. et chir. Cand.
F. SALAND, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

ENGELBERTO REITEMEIER

ECCLES. CATH. PADERBORNENSIS VICARIO,

AVUNCULO OPTIMO, EGREGIE DE SE MERITO,

USQUE AD CINERES COLENDO

H A S C E

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D

AUCTOR.

Priusquam aggrederemur ad id, quod in quaestionem vocavimus, nobis placuit, ut paucis morbi, de quo agitur, historiam explicaremus. Morbus Brightii medicos veteres omnino latebat. Blackall (1), primus, unus ex medicis peritissimis atque doctissimis sui temporis, in urina eorum, qui hydropsia laborarent, ad auctam albuminis copiam animum advertit; qua re considerata viam ad investigandam hujus morbi rationem medicis aperuit. Paulo post Richardus Bright (2), qui cadavera hydropicorum, quorum urina continuerat albumen, secuit, semper renes esse degeneratos, cognovit, quod eo cernitur, quod substantia medullaris tabescit, et substantia corticalis aucta superficiem granulatam decoloratamque ostendit. Quamquam R. Bright veram morbi naturam non cognovit, tamen observationibus medicorum animos magis magis-

---

(1) J. Blackall, über das Wesen und die Heilung des Wassers und vorzüglich über die Gegenwart von gerinnbarer Lymphe des Blutes im Urine u. s. w., aus dem Engl. von J. Radius. Pesth 1821.

(2) R. Bright, Reports of medic. cases. etc. Vol. I. 827 und Vol. II. 831.

que movit, ut hanc hydropis formam diligentius examinarent, et primus Christison (1) indagatione sedula observationes Brightii explorans aliquid certi de hoc morbo attulit. Ejus quidem sententia morbus verisimiliter inflammatione chronica exoritur; urina nisi renibus degeneratis albumen non continet, simulque urinae in hoc morbo multo minus ureae, quam in hominibus sanis inesse, imo hanc in sanguine exstare reperit. Christisoni opinioni sunt adversati Graves (2) et Elliotson (3), qui se in omnibus fere hydropum urinam albuminosam invenisse eamque persaepe in hydrope symptoma esse hepatitidis chronicae confirmarunt. — Quo facto non tantum Angli, verum etiam Franco-Galli Germanique hujus morbi naturam explorare sunt conati. Andral (4) in libro, qui inscribitur: „cliniq. medic. 1. Edit. T. III. pag. 567" commemorat casum anasarcae atque ascitae cum degeneratione renum, quam formam hypertrophiis adnumerat. Praecipue autem Rayer (5) sedulo urinas in diversissimis morbis inquisivit,

---

(1) In Edinb. med. Journ. Vol. 32. 1829. et an granular degeneration of the Kidney's, and its connexion with dropsy, inflammations and other diseases. Edinb. 1839. Uebersetzt von Meyer mit Anmerkungen von Rokitansky. Wien 1841.

(2) Abstract. of a clinical lecture lately delivered by Dr. Graves in Lond. medic. Gazette 1831. Febr.

(3) Clinical lectures delivered by Dr. Elliotson at St. Thomas Hospital in Lond. med. Gazette Dec. 1830.

(4) Andral: Précis d'anatomie pathologique. Tom. II. Paris 1839.

(5) Traité des mal des reins. Paris 1837. Aus dem Fran-

atque urinam tunc tantum albuminosam esse, quando albuminuria in renes invasisset, reperit. Discipuli ejus, inter hos praecipue Tissot (1), Monassot (2), Désir (3) permulta urinae pericula fecerunt, et Rayeri observationes divulgarunt. Germanici igitur medici multam operam in hujus morbi natura cognoscenda posuerunt, et G. Gluge (4), Naumann (5) praecipue autem Rokitansky (6) accuratissime eam observarunt.

SYNONYMA.

Praeter nomen morbi Brightii sunt etiam haec nomina: Albuminuria, nephritis albuminosa, hydrops albuminosus, hydrops inflammatorius, albuminorrhoea, granulatio renum, degenerescentia alba, ororrhoea. Quae quidem nomina, quum magis symptomata, quam morbi indolem indicent, non sunt probanda. Nobis placuit, ut nomen ductum ab eo viro, qui primus in eo considerando et examinando est versatus, retineremus.

---

zösischen von Krupp, Leipzig und Kassel 1839 und in l'expérience N. 42. 1838. (Schmidt's Jahrb. XXI. p. 52.)

(1) De l'Hydrop causée par affect. granulause des reins. Paris 1833.

(2) Etudes sur la granulation des reins. Paris 1835.

(3) De la présence de l'albumine dans l'urine. Paris 1835.

(4) G. Gluge in Casper's Wochenschrift 1837. N. 38, 39, 49; ferner in Anat. microscop. Untersuch. Minden 1838.

(5) Mediz. Klin. Thl. VI. S. 3.

(6) Pathologische Anatomie Bd. III, S. 413.

DE MORBO UNIVERSO.

Quamquam a viris laude nostra superioribus multa de vera hujus morbi natura disputata atque conscripta sunt, tamen omnium est permagna dissensio: nam alii hunc morbum cachexiam, alii astheniam renum, alii inflammationem sthenicam esse existimaverunt. Exstiterunt igitur, qui contenderent, renum degenerationem esse affectionem primariam, ex qua reliqua symptomata ad unum omnia nascerentur; neque defuerunt, qui putarent, hydropem et albuminuriam morbos esse primarios, unde ipsa renum affectio penderet.

Quum longe plurimis viris placuerit, esse renum degenerationem necessariam omnium ceterorum morbi phaenomenorum causam, jam, quae contra sint dicenda, explicare in animo est. Verum quidem est, in omnibus fere hominibus, qui hoc morbo laborarent, renum degenerationem peculiarem affuisse. Nonne autem haec degeneratio mali occultioris causa esse potest? Quo modo decursum affectionis renum explicemus tum, si (ut saepius evenit) ii, qui huic morbo erant impliciti, reconvaluerunt; praesertim quum maxime dubium sit, utrum renibus tam vehementer degeneratis ipsi renes ad structuram et functionem normalem reduci possint, an non possint? Cur tandem semper renem utrumque alteratione peculiari laborantem videmus? Multa quidem argumenta sunt, quibus probatur, causam primariam omnium morbum Brightii constituentium symptomatum dyscrasiam quandam esse sanguinis; num haec dyscrasia eadem sit, quae scrophulosis et tuberculosis est, ut Henle suspicatur, an alia quaedam haud satis est cognitum. Quam opinionem confirmat illud pericu-

lum, quod Magendie (1) fecit, qui immisso in animalis venas sero cibisque non datis arte urinam albuminosam paravit. Tandem causae, quae hunc morbum provocant: abusus spirituosorum, refrigeratio, diathesis tuberculosa satis demonstrant, supra commemoratam sententiam non infirmis niti argumentis.

Rokitansky etiam, de anatomia pathologica maxime meritus, hanc sententiam probat; cujus verba sunt haec: (pag. 470 Tom. III.) „Meiner Meinung nach wäre sonach in der Brightschen Krankheit eine Anomalie der Blutcrasis die primitive, welche wahrscheinlich nicht immer und zum wenigsten nicht immer alsbald — gleich der die zuckrige Harnruhr begründenden Anomalie der Vegetation — die sichtliche secundäre Erkrankung des Nierengewebes, zufolge einer besondern Beziehung zur Niere bedingt." Nec dissentit Prout: (2) „Man muss annehmen, dass gewisse Ursachen, wie z. B. Branntweintrinken, eine Schwäche des Körpers im Allgemeinen und der Harnorgane wie der Nieren insbesondere erzeugen, mit andern Worten, dass die Affection der Nieren nur die Folge einer allgemeinen Ursache ist."

Quae quum ita sint, morbum Brightii partim cachexiae tuberculosae, partim diabetae similem esse constat.

MORBI SYMPTOMATA.

Plurimi scriptores hujus morbi duas inter se discrepantes

(1) Versuche über das Blut; übersetzt von Krupp. Leipzig 1839. S. 97.

(2) Prout, über das Wesen und die Behandlung der Krankheiten des Magens und der Harnorgane. Aus dem Englischen von Krupp. Leipzig 1843. S. 240.

formas distinxerunt, quae sunt forma acuta et chronica. Forma acuta symptomatibus affectionis inflammatoriae renum continetur. Febris est synochalis, ab horrore et frigore orditur, calore et siccitate cutis, celeri duroque pulsu, dolore, non semper aequali, in regione renali, urina parca, prope suppressa, rubra et sanguine tincta, multum continente albuminis. Raro desunt consensualia ventriculi symptomata, ut nausea, vomituritiones, vomitus; hydrops fere semper adest. Quum renes, quominus secernant, impediti sint, urea e sanguine educi non potest, quae organismum irritat. Itaque oriuntur in hac forma praecipue symptomata cerebri irritati vel pressi, plerumque a cephalaea incipientia, quae aut in deliria, apoplecticas vel convulsivas affectiones, aut in somnolentiam, stuporem, coma cadunt.

Forma chronica est frequentissima; interdum e forma acuta nascitur; attamen non raro etiam ab initio primaria existit. Urina in hac forma est pallida, interdum neutralis vel alcalina; vires decrescunt, facies fit cachectica, riget cutis ejusque functio tollitur, nec sitis et dyspepsia abest, quae non raro cum vomituritionibus praecipue horis matutinis est conjuncta. Absunt modo, modo adsunt dolores lumbales; symptomata febrilia plerumque desunt. Praeter haec symptomata nonnunquam talia apparent, quae affectionem pleurae, pulmonum, bronchiorum, cordis, pericardii, peritonaei et hepatis indicent.

Morbo igitur universo considerato ad symptomata singula contemplanda transeamus.

Symptoma maximi momenti est albuminosa urinae secretio,

quare ejus proprietates physicas, chemicas atque microscopicas accuratius exponendas hoc loco esse censemus.

a) Proprietates physicae spectant ad urinae copiam, colorem, odorem et pondus, quod vocant specificum. Copia urinae sibi non constat; non tam exigua est, quam in aliis hydropibus. In forma acuta semper est deminuta et secundum Christisonum pro unciis 35—45 emittuntur unciae 8 — 12 — 16. In forma chronica saepenumero urinae secretio est copiosior, ita ut morbus quodammodo diabetae mellito similis esse videatur, et nonnunquam deminuitur, praesertim si exoriantur anasarca atque affectiones cerebri. Morbo ineunte urinae color est ruber et sanguineus, sedimentis crassis et fuscis mixta; in hominibus nonnullis saepe tempore matutino est pallida, vespere autem rubore sanguineo eximius. Plerumque igitur est urina substraminea et opalescens.

Urina olet suburinosum quoddam; peractis quatuor et viginti horis osmazomi odorem edit.

Quod attinet ad pondus, quod vocant specificum, semper est in hoc morbo minus, quod urea et acidum uricum fere omnino desunt, vel tum, quum urinae copia est imminuta, in quo casu concentratio elementorum solidorum exstat. Plerumque est urinae pondus specificum in hoc morbo 1,013 vel 1,018, ita ut multum differat a sana urina, cujus est 1,924 vel 1,026.

b) Quod attinet ad proprietates chemicas, urina in initio reagit acide et tardius solito putrescit, post aliquot horas fit alcalina. Symptoma autem gravissimum est coagulatio ex albumine, quae calore, acido nitrico et Hydrargyro

muriatico corrosivo et aliis reagentibus paratur. Ex quibus calorem et praecipue acidum nitricum maximum valere ad cognoscendum urinae albumen, quod et quantum insit in urina, experientia est probatum. De hoc modo per acidum nitricum albuminosam urinam cognoscendi Martin Solon (1) dixit: „Guttam unam acidi nitrici in urinam, cui multum albuminis inesset, immissam jam turbationem efficere posse; si urina alcalina esset, turbationem evanescere; sed quum nonnullae guttae iterum essent adjectae, multo majorem turbationem iterum apparere. In urina igitur examinanda ad has res animum intendamus oportet: 1) Urina noctu et mane emissa ad experimentum est eligenda; 2) experimentum saepe est repetendum, nam fieri potest, ut albumen semel non reperiatur propter nimiam copiam ureae, aut propter parvam copiam seri sanguinis urinae forte additi album seri praecipitetur.

c) Ad analysin chemicam accedere debet disquisitio microscopica, quam Gluge (2) primus accuratius instituit. Nunquam hic in urina albuminosa corpuscula sanguinolenta, interdum purulenta, rarissime globulos ab ipso dictos inflammatorios reperit, sed plerumque alienam

---

(1) Dr. Martin Solon: de l'albuminurie ou hydropisie causée par maladie des reins. Paris 1838.

(2) Untersuchungen über das Wesen der von Bright entdekten Entartung der Nieren in der Wassersucht. Schmidt's medizin. Jahrbuch XXI, p. 58.

granulorum tenuium multitudinem. Hecht (1) autem in urina sanguinolenta ex morbo Brightii loborantium sanguinis corpuscula reperit copiosissima. F. Simon (2) corpuscula mucosa, epithelia compressa, sanguinis corpuscula, item rotundos, obscuros, substantia, ut videbatur, granulosa repletos globulos animadvertit. Praeterea saepius in urina albuminosa muci corpuscula, et praecipue in forma chronica lamellae membranaceae sunt visae, quae Vigla auctore etiam in urina normali sunt conspectae, sed multo major est earum numerus in urina albuminosa.

De sanguine. In acuto morbi initio sanguis ostendit anomalias; in universum habet statum inflammatorium; sanguis e vena missus magnam crustam phlogisticam ostendit; album men et salia tantum parca inveniuntur fibrino aucto. Christison serum sanguinis lacteam aethere sulphurico tractans exiguam materiae oleosae copiam reperit. Morbo progrediente haematini inopia observatur, saepe etiam urea in sanguinis sero. Si microscopii ope perscrutemur sanguinem, copiam sanguinis corpusculorum invenimus deminutam, simul copiam globulorum alborum animadvertimus. De quo Christison haec ait: „In der ersten Periode der Krankheit wird der Eiweisstoff des Serums vermindert, der Faserstoff vermehrt, der Antheil der Blutkörperchen bleibt normal; das Serum

(1) Dissert. de renibus in morbo Brightii degeneratis. Berol. 1839, und Casper's Wochenschrift 1839.

(2) Beiträge zur physiologischen und pathologischen Chemie und Mikroskopie. Berl. 1844. S. 103.

wird durch Beimengung von fetten Stoffen milchig, der Harnstoff findet sich im Blute; in der zweiten Periode wird das Blut wieder normal; in der dritten verliert das Serum abermals Eiweissstoff, ebenso nehmen die Blutkörperchen ab, das Serum wird oft wiederum milchig und der Harnstoff erscheint abermals wieder im Blute." Becquerel de sanguinis mutatione hanc fert sententiam: „Die Korticalsubstanz der Nieren sondert wie in jedem andern Falle Urin ab, dessen Beschaffenheit dem allgemeinen Zustande des Individuums entspricht, nur mit der einzigen Modification, dass sie, in Folge ihrer Entartung eine gewisse Menge Eiweissstoff aus dem Blute, aus welchem sie den Urin bereiten sollte, mit in diesen übergehen lässt. Durch diesen fortdauernden Verlust an Eiweissstoff wird das Blut verdünnt und verringert, es wird ebenso ärmer an Blutkörperchen wie an Eiweissstoff des Serums; die Rückwirkung davon ist der allgemeine Blutmangel, unter dessen Einfluss die Wassersucht entsteht." Fibrinum igitur in morbi principio auctum sensim morbo progrediente paene ad normalem copiam reducitur; haematosinum autem ineunte morbo est normale et in posteriori morbi decursu valde evanescit, ita ut nonnunquam vix partem normalis copiae tertiam assequatur.

DIAGNOSIS.

Quamquam in vivis multa manifesta morbi Brightii phaenomena videmus, quae ad eum cognoscendum valeant, tamen dubitari non potest, quin nonnullae sint res, quae diagnosin praecipue formae acutae difficiliorem reddant. Nam urina albuminosa, symptoma gravissimum: 1) et compluribus

aliis in morbis observatur; 2) et non semper per totum morbi decursum est constans.

1. Urina albuminosa comitatur multos morbos acutos chronicosque, veluti pleuropneumoniam, rubeolam, scarlatinam, variolam, febrem intermittentem, typhum, rheumatismum acutum, imo etiam in personis sanis (1) est observatum albumen. Jam supra diximus, propter parvam sanguinis seri copiam urinae casu additi albumen seri praecipitari; non tamen diffiteor, albumen in urina sine sanguine existere posse, sed non permanet, ita ut altero die, vel aliquot post horas nullum albuminis praecipitatum nec acidis nec calore effici possit. Nostro autem in morbo albumen constans reperitur. Ad diagnosin res quoque est maximi momenti, albuminis copiam cognitam habere. Plerumque coagulum quartam tertiam vel dimidiam fluidi partem efficit praecipue in initio copia est valde magna. Aliis autem in morbis raro octavam urinae partem coagulum efficit.

2. Saepe mortuorum hominum renes degeneravisse est repertum, quamquam urina haud cognita erat albuminosa. Bright ipse duos casus observavit; simul tamen monuit, in urinam brevi ante mortem esse inquisitum, quo tempore urina nonnunquam non albuminosa esse soleat. Porro animadvertit, repente interdum albumen evanescere ex urina; tunc urina evadebat alcalina et magnam acidi urici copiam continebat; attamen post aliquod tempus urina de integro est facta albuminosa. Vix autem in diagnosi fieri posse videtur, ut morbus

---

(1) F. Simon: physiologische und pathologische Anthropochemie. Berlin 1842 pag. 419.

Brightii cum nephritide, haematuria atque inflammatione tunicae mucosae calycum et ureterum permutetur.

DECURSUS ET EXITUS.

Morbus Brightii, ut supra jam commemoravimus, utitur decursu aut acuto aut chronico, et cachecticae signa affectionis praebet. Forma acuta saepissime rapido decursu fertur et aegrotorum vires brevi consumit. Quod accidit praecipue apud infantes in epidemiis scarlatinosis, apud homines adultae aetatis post vehementem refrigerationem. Forma quidem chronica, praecipue si est sine complicationibus, explet varium temporis spatium, per annum, biennium, triennium, imo per spatium decem annorum serpere potest, atque tunc demum mors secuta est, si tota substantia renum erat degenerata.

Qui ex Brightii morbo est recreatus, is, ut Bright et Osborne exemplis confirmarunt, ad hunc morbum est admodum proclivis. — Exitus morbi est triplex: in sanitatem, in alios morbos et in mortem verti potest. Si vertitur in sanitatem hydrops et albumen in urina evanescit, cutis fit mollior, sudores universales intrant, urea et salia in urina augentur, et sanguis est mixtus, ut in homine sano. Sed hic exitus valde est rarus, et nisi in primis morbi stadiis non reperitur.

Exitus in alios morbos, ut oedema, bronchitidem, pneumoniam et alios semper morte finiri solet, aeque ac tertius exitus. Mors a cerebro proficiscitur; itaque deliria, convulsiones et apoplexia oriuntur, aut consumtione virium, oedema pulmonis atque rimae glottidis existit.

PROGNOSIS.

Quibus rebus breviter disputatis apparet, prognosin malam esse nisi in morbi initio, ubi dubia est ponenda. Prognosis est eo pejor, quo magis aegrotus dyscrasia laborat, quo albuminosior urina, quo magis urina spumat, quo minus pondus specificum, quo diutius morbus perstitit, quo magis degeneratio renum provecta esse videtur, quo frequentior est reditus, quo plura mala secundaria accedunt. Porro prognosis pendet ex forma: in forma acuta in universum exitum faustum suspicari licet, praesertim quum albuminis et sanguinis corpusculorum copia exigua in urina invenitur. Complicationes autem ut affectiones inflammatoriae cerebri, pulmonum et organorum aliorum plerumque mortem afferunt. Praeterea ad causas morbi prognosis se accommodet; morbus enim ex febri scarlatina exortus est minus gravis, quam si natus est conditionibus sub aliis, ut ex refrigeratione. Laetum signum est, si decrescit albumen, urea redit in urinam, et pondus specificum urinae increscit.

Forma autem chronica semper fere morte finitur.

AETIOLOGIA.

I. Causae praedisponentes.

1. Causae praedisp. universales.

a) Coeli natura. Morbus Brightii in terris humidis et borealibus frequentius oritur, quam in meridianis; aër humidus, frigidus, propinquitas maris et fluviorum morbo

nostro favere videntur; quapropter Britanniae incolae hoc morbo saequissime implicantur.

b) Anni tempora ac tempestates momenti magni in morbo nostro sunt, prouti sicca aut humida, calida aut frigida sunt. Quamobrem praecipue autumnus et hiems ei favent.

c) Victus ratio. Hic illi homines sunt nominandi, qui vitam in humidis locis degere debent, ubi mutationi temperaturae sunt expositi, ut aurigae, lotrices, navigatores facile hoc morbo afficiuntur.

2. Causae praedispon. individuales.

a) Hereditas. Plerique medici dispositionem hereditariam morbi Brightii causam esse negant; attamen Osborne et imprimis Prout hanc dispositionem esse statuerunt. Prout complures potatorum infantes hoc morbo laborantes observavit.

b) Aetas. Nulli parcit aetati morbus, praecipue solet existere a tricesimo usque ad quadragesimum annum. Infantes autem raro nisi post scarlatinam hoc morbo laborant; attamen auctores nonnulli infantes idiopathice hoc morbo correptos viderunt. Becquerel(1) viginti quinque infantes eo aegrotantes vidit, quorum aetas erat haec:

Annorum III	aegroti erant IV
- - IV	- - - II
- - V	- - - I

1) Becquerel: Séméiotique des urines. Paris 1841.

Annorum VIII	aegroti erant	II
- - IX	- - -	V
- - X	- - -	III
- - XI	- - -	II
- - XII	- - -	IV
- - XIV	- - -	II

c) Sexus. Homines utriusque sexus hoc morbo affliguntur; attamen viri facilius corripiuntur morbo, quam mulieres; in casibus triginta sex a Tissot observatis erant duodecim feminae, et in casibus viginti tribus a Bright notatis erant septem feminae. Quod feminae rarius affliguntur, certo vitae varietati est adscribendum.

d) Graviditas etiam morbo, de quo agitur, favere videtur.

e) Cachexiae et dyscrasiae quaedam, ut scrophulosis, arthritis, haemorrhoides, phthisis pulmonum et syphilis saepissime hunc morbum inducunt. De qua re Rokitansky bene dixit: „Sie geht immer ohne Reaction aus einer inveterirten Scrophulosis, Rhachitis, insbesondere aber Syphilis und Merkurialcachexie hervor; sie existirt als eine constitutionelle Infiltration neben dem nämlichen Leiden der Milz und der Leber als Infiltration derselben mit einer speckig-albuminösen Substanz, und bleibt in Rücksicht der Wesenheit dieses Productes überhaupt sowohl, als auch der Anomalie der Blutmasse einerseits und jener des Harnsekrets andererseits ein Problem. Auch im Gefolge der Intermittenz haben wir sie einmal neben dem analogen Zustand der Milz gesehen.“

Memorandum hoc loco etiam est, post scarlatinam, praecipue in stadio desquamationis, quo cutis functio suppressa est, saepissime morbum nostrum exoriri. Gregori quidem rubeolas et Rayer variolam secutum esse eum vidit. Osborne mentionem fecit duorum hominum morbo Brightii post epidemiam influenzae, quae anno 1833 in Anglia est grassata, correptorum. Tandem disponunt febris intermittens, affectiones cordis et hepatis.

II. - Causae occasionales.

a) Refrigeratio. Plerique viri majoris auctoritatis in eo consentiunt, cutis reactione suppressa morbum Brightii saepissims oriri, quare refrigeratio maxime est periculosa. Itaque hunc morbum praecipue iis supervenire videmus, qui ad victum comparandum crebris refrigerationibus omnibusque tempestatum mutationibus sunt expositi, ut aurigae, navigatores, pauperes, qui domiciliis humidis uti coguntur. De quibus rebus Andral (1) bene scripsit: „Le plus souvent, lorsque les malades se rappellent leurs antecédents, ils nous apprennent, qu'ils se sont exposés au froid, à l'humidité, ou qu'ils ont bu abondamment de l'eau froide, lorsqu'ils étaient en transpiration . . . . . Nous la devons à l'influence de l'humidité et du froid, joindre celle du mauvais régime et parfois du manque de nourriture: ce sont deux ennemis, qui ne sont que trop souvent conjurés contre le pauvre et l'artisan."

1) Andral. Anatomie pathologique. Paris 1829 Tom. II pag. 291.

Nominandi quoque sunt hoc loco sudores pedum suppressi, vestes non sufficientes, refrigeratio in balneis.

b) Nutritus. Morbus, de quo agitur, omnes hominum ordines corripit, sed praecipue pauperes propter alimenta mala et totam vivendi rationem. Maxime autem abusus spirituosorum ad hunc morbum disponit.

c) Medicamina. Inter remedia diuretica, inprimis canthariides et squilla morbi nostri causae esse dicuntur. Nonnulli scriptores, ut Anderson (1), afferunt abusum hydrargyri; sed Désir experimentis in nosocomio factis, cui nomen est: „Hôpital des Vénériens" demonstravit, hydrargyrum minime inter hujus morbi causas esse referendum.

THERAPIA.

Medicamina, quibus ad nostrum morbum sanandum utuntur, sunt permulta atque diversissima; id quod ex variis de morbi natura sententiis facile intelligitur. Dum alii medici hydropsiam opinantes causam proximam diuretica laudant, alii ea condemnant et utuntur apparatu antiphlogistico, alii diaphoretica porrigunt. Est igitur difficile, ex his permultis medicaminibus talia eligere, quae indicationibus maxime conveniant. Medicamenta ab auctoribus proposita ordine exponemus et idonea commendabimus.

---

(1) Lond. med. Gaz. Vol. XV, March 21, 25 u. 28. 1835. Ueber die von den Nieren ausgehende Wassersucht. Schmidt's Jahrbücher IX pag. 305.

1. Indicatio prophylactica.

Qui hunc morbum evitare volunt, praesertim in febri scarlatina vel dispositione innata et acquisita, ab abusu spirituosorum et diureticorum desistere, vestimentis bonis uti, irritationes renum evitare, frigidae atque humidae temperaturae se non exponere, et semper functionem cutis per balnea curare debent.

2. Indicatio morbi.

Hic nobis tres potissimum indicationes se offerunt:

a) Causae sunt tollendae, et ut primum morbus acutus prodit, status inflammatorius est profligandus.

b) Sanguinis dyscrasia est tollenda.

c) Mala secundaria et complicationes sunt sananda.

a) Ad causam morbi tollendam emissio sanguinis, diaphoretica, diuretica, purgantia, derivantia ab auctoribus sunt proposita et adhibita.

Emissio sanguinis, praecipue in hujus morbi initio, in usum vocari debet et quidem venaesectio, et, si aegrotus venaesectionem tolerare non possit, tunc hirudines aut cucurbitae cruentae ad regionem lumbalem applicentur. Detractiones sanguinis repetitae fiunt salubres, et dolor, urina turbida parca, sanguinea, febris et crusta phlogistica praecipue repetitionem postulant. In constitutione autem debili magna cum cura emissionem sanguinis instituere debemus.

Ad excitandam cutis functionem turbatam multum affert utilitatis pulvis Doweri; porro balneis calidis posteaque balneis e vaporibus et cutis frictionibus magna cum utilitate utimur.

Osborne primus diaphoretica interna praescripsit. Praeterea ab auctoribus commendantur diaphoretica haec: mixtura camphorata, ammonium carbonicum, ammonium aceticum.

De adhibendis diureticis medici valde inter se discrepant; Osborne ea plane rejicit. Mea autem experientia diuretica maxime sunt laudanda, praecipue digitalis purpurea, quae auctoribus Christison, Blackall, Romberg et aliis, praesertim inflammatione sublata, optimum habet effectum. Romberg eam porrigit in hac forma:

Rcp. Herb. digital. gr. ¼
Cremor. tartar.
Sacch. alb. aa ℈β
M. f. pulv.
Dent. tal. dos. 9
S. Ter per diem un. dos.

Praeterea adhibentur quoque diuretica haec: tartarus depuratus, squilla, decoctum graminis nitratum, Kali aceticum et decoctum Armoraciae. — Ad purgantia fortiora non nisi ubi stupor, coma imminet, et praecipue si oedema exoritur, in stadio primo est confugiendum. In vulgari eorum usu leniter laxantia sunt eligenda, ut Kali sulphuricum, Kali tartaricum cum radice graminis, althaeae cum rheo et alia, ne arte perniciosam diarrhoeam producamus. — Derivantia tandem, ut vesicatoria, fonticuli, setacea lumbis applicata, inflammatione superata, maximo cum successu in forma chronica adhibentur.

b) Ad sanguinis tollendam dyscrasiam dantur diversissima medicamina, ex quibus tantum nonnulla enumerabimus.

Hansen (1) hunc in finem porrigit acidum nitricum in hac forma:

Rcp. Acid. nitric.
Spirit. nitr. aether. aa. ℥β
M. D. S. Secunda quaque hora 16—20 gutt.

Alii jodum, alii ferrum carbonicum commendant, alii optimo jure alcalia laudant, quae, ut scimus, specifice in albumen agunt. Ex Rombergi (2) experientia est optimum remedium ferrum jodatum.

Diaeta in forma acuta primum sit antiphlogistica, postea nutriens. In forma chronica imprimis valet diaeta lactea et caro facile concoquenda; vegetabilia male praeparata omnesque fructus sunt evitanda.

c) Restat, ut de malorum secundariorum et complicationum cura nonnulla loquamur. Complicatio pro sua quaeque natura est sananda. Ad refutandum ascitem utimur purgantibus et diureticis, frictionibus ex scilla, digitali purpurea in abdomen. Paracentesis hic est evitanda, nullum enim commodum, sed plerumque sequelas maxime funestas affert. In anasarca Bright scarificavit acuque punctiones fecit.

In affectione cerebrali adhibemus hydrargyrum muriaticum mite, setaceum et emplastrum vesicatorium cervici applicatum.

(1) Die Salpetersäure innerlich gereicht als Heilmittel der Bright'schen Krankheit oder Albuminurie, durch 18 geheilte Fälle erläutert. Trier 1843.

(2) Klinische Ergebnisse, S. 83. Berl. 1845.

Contra symptomata dyspeptica, quae amaris, absorbentibus, narcoticis aliisque remediis cedere non solebant, Christison Creosotum (gutt. 1—2 in aq. aromat.) commendat. Vomitus et diarrhoea tolluntur opii dosi exigua.

Irritationes inflammatoriae ventriculi et intestinorum postulant hirudines et cataplasmata calida, interne porriguntur mucilaginosa.

In bronchitide magno cum commodo Osborne adhibuit balsamum copaivae. Si per aliquod tempus sputa aderant larga respirationem reddentia difficilem, porrexit plumbum aceticum, praeterea hirudines 2—8 et vesicatoria superiori sterni parti applicavit.

ANATOMIA PATHOLOGICA.

Renum substantia, forma, color in hoc morbo valde mutantur. E mutationibus variis alii medici, sicut Christison, qui morbi processum in stadia tria dividit, stadia morbi quaedam ponere, alii in classes redigere ac discernere sunt conati, ut Bright, Solon, Rayer, Rokitansky, qui tres, quatuor, sex vel octo varios degenerationis gradus proponunt. Cujus modi distinctiones sunt minutiae atque subtilitates, quae lectorem perturbant, praesertim si haec vel illa varietas res, quibus cum morbo Brightii praeter sedem nihil commune est, continet. Sic. M. Solon quinque suis gradibus tubercula, indurationem simplicem, atrophiam adnumerat.

Sed jam progrediamur ad stadia singula. Nobis placuit, ut tria tantum stadia renum degenerationis statueremus.

Stadium primum, quia aegroti nonnisi fortuito morbo ineunti succumbunt, raro videmus. Renes sunt in statu con-

gestivo, plus minus viget hyperaemia una cum injectione corpusculorum Malpighii; volumen et pondus renum sunt aucta, quorum pondus in homine sano circa uncias quatuor, hic autem uncias octo vel duodecim continet; consistentia renum est minuta et mollis; in superficie non arcte cum peritonaeo conjuncta ecchymoticas maculas vidimus; incisione longitudinali facta substantia corticalis griseo-flavis punctis obtecta cernitur, substantiae medullaris autem clarior, quam in normalibus renibus existit.

Semper renem utrumque, licet non semper eadem ratione, corripi videmus. In stadio secundo substantia corticalis praebens texturam granulosam in interstitiis albam et opacam quandam materiam ostendit. Nonnullis in partibus observantur vasula sanguine impleta; saepius papillae substantiae tubulosae inveniuntur induratae. Maxime notat hoc stadium anaemia mixta cum hyperaemia; id quod ex corpusculis Malpighii materia quadam peculiari plastica infiltrandis oritur, unde evenit, ut corpuscula modo commemorata fiant majora et renum hypertrophia existat. Qua ratione fit, ut tela cellulosa inter haec corpuscula sita et vasa capillaria, quae hic inveniuntur, coarctentur et obliterentur.

In stadio tertio renum superficiem videmus asperam innumeris flavis quasi verrucis obtectam, et non solum substantiae corticalis, sed etiam tubularis textura est deleta. Renes in hoc stadio atrophia laborare solent, ita ut ad tertiam voluminis partem evanescant. Pyramides plerumque plane tabuerunt, vel modo rudera eorum exstant. Renes sunt duri quasi cartilaginosi. In hoc statu urina multum albuminis continere solet.

Tandem hoc loco est memorandum, glandulas Malpighii rubras vel nigras, solito majores, serius incolores fieri eodem tempore, quo substantia corticalis evadat anaemica. Arteriae renales sunt non mutatae, venae autem concretionibus fibrinosis, quae in ramos majores se extendunt, sunt impletae. Quae degenerationes autem non solum in nostro morbo, sed etiam in aliis morbis exempli causa in nephritide inveniuntur.

Praeter hasce pathologico-anatomicas renum mutationes alia quoque corporis humani organa in morbo Brightii, et quidem frequentissime pleura, cor et hepar sunt commutata. In pleura inveniuntur concretiones cum seri effusione; cor aut hypertrophicum aut dilatatum evadit, etiam vitia valvularum et aortae facile oriuntur; hepar inter haec organa rarissime est mutatum, et tantum in potatoribus crebro invenitur cirrhosis.

VITA.

Wernerus Aloysius Arminius Peine, catholicae fidei addictus, natus sum die XXI Octob. anno hujus saeculi vicesimo tertio Nichemiae, Guestphaliae oppido, patre Guilelmo, matre Elisabetha e gente Reitemeier, quos parentes dilectissimos praematura morte mihi ereptos lugeo. Primis litterarum elementis domi imbutus, gymnasium Paderbornense, tum directore beat. Gundolf florens, per octo annos frequentavi. Quo absoluto munitus maturitatis testimonio auctumno anni millesimi octingentesimi quadragesimi tertii Goettingae, medicinae operam daturus, a beat. Bergmann, t. t. prorectore magnifico, civium academicorum numero sum adscriptus. Ibidem per duos annos versatus Berolinum me contuli, ubi a rectore magnifico Trendelenburg inter cives academicos et a decano spectabili Hecker inter studiosos medicinae denuo sum receptus. — Per quadriennium hasce praelectiones frequentavi: Ill. Langenbeck de osteologia, de anatomia, de neurologia et de chirurgia; idem dux mihi fuit in cadaverum sectione.

Ill. Conradi de encyclopaedia medica; de pathologia et therapia speciali.

Ill. Wagner de historia naturali, de zoologia et de physiologia.

Ill. Woehler de chemia et de pharmacia.

Ill. Bartling de botanice.

Ill. Himly de physice.

Ill. Lotze de logice et de anthropologia.

Ill. Marx de materia medica et de pathologia et therapia generali.

Cel. Schmidt de arte obstetricia theoretica.

Cel. Froriep de anatomia herniarum chirurgica.

Exp. Ebert de auscultatione et percussione.

Ill. Mueller de anatomia pathologica.

Ill. Casper de medicina forensi.

Praeterea in exercitationibus clinicis, medicis, chirurgicis, obstetriciis duces mihi fuerunt Ill. Dieffenbach, Truestedt, Juengken, Schmidt, Wolff, Romberg.

Inde ex calendis Maiis munere chirurgi militaris voluntarius duce Cel. Helberg fungor. — Quibus omnibus viris optime de me meritis, quam possum, maximas ago semperque habebo gratias.

THESES.

1. Urina albuminosa est symptoma gravissimum morbi Brightii.
2. Incarceratio herniae spastica non existit.
3. Fons morborum animi corpus.
4. Inter morbum tuberculosum et scrophulosum est nullum discrimen.

DE TETANO TRAUMATICO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

[illegible]

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE [illegible] M. AUGUSTI A. MDCCCLXII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HENRICUS PAASCH

[illegible]

[illegible]

OPPONENTIBUS:

[illegible]

[illegible]

[illegible]

BEROLINI

[illegible]

THESES.

1. [illegible]
2. [illegible]
3. [illegible]
4. [illegible]